

Ebora, quod idem liberalitas Iulia, & Myrtilis ac Salacia, quae diximus. Stipendiariorum, quos nominare non pigeat, praeter iam dictos in Baticae cognominibus, Augustobrigenses, Ammicenses, Aranditani, Axabrigenses, Balcenses, Caesarobrigenses, Caprenses, Caurenses, Colarni, Cibilitani, Concordienses, qui & Boccori, Interausenses, Lancienses, Mirobrigenses qui Celtici cognominentur, Medubricenses, qui Plumbarij, Ocelenses qui & Lancienses, Turduli qui Barduli et Tappori. Lusitania cum Asturia & Gallecia patere longitudine dxi. M. pass. latitudine dxxxvi. M. Agrippa prodidit. Omnes autem Hispaniae a duobus Pyrenaei promontorijs per maria totius ora circuitu. p. XXIX. M. colligere existimantur, ab alijs XXVII. M. Ex aduerso Celtiberiae coplures sunt insulae, Cassiterides dictae Graecis, a fertilitate plumbi: & e regione Arrotrebarum promontorij, deorū sex, quas aliqui fortunatas appellauerunt. In ipso vero capite mox Baticae, ab ostio freti pass. lxxv. M. Gadis, longa (vt Polybius scribit) xij. M. lata. iij. M. pass. Abest a continēte proxima parte minus passus dcc. Reliqua plus septem. M. Ipsius spacium xv. M. pass. est. Habet oppidum ciuium Romanorū quod appellatur Augusta vrbs Iulia Gadihana. Ab eo latere quo Hispania spectat, passibus fere c. altera insula est longa iij. M. pass. M. lata, in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro & Philitide, Erythia, a Timaeo & Sileno Aphrodisias, ab indigenis Iunonis. maiorem Timaeus Cotinussam apud eos vocatam ait: nostri Vartesson appellat, Peni Gadir, ita punica lingua sepem significat. Erythia dicta est, quonia Tyrj ab origine eorum orti ab Erythreo mari ferebantur. In hac Geryones habitasse a quibusdam existimatur, cuius armenta Hercules abduxerit. Sunt qui aliam esse eam & contra Lusitania arbitrentur, eodemq; nomine quondam ibi appellatam.

Vniuersae Europae mensura. CAP. XXIII.

Peracta ambitu Europae, reddenda consummatio est, nequid non in expedito sit noscere volentibus. Longitudinem eius Artemidorus atque Isidorus a Tanai vsque Gades LXXXIII. xiiij. M. prodiderunt. Polybius latitudinem Europae ab Italia ad oceanum scripsit XI. M. l. esse, etiam tum incomperata magnitudine eius. Est autem ipsius Italiae (vt diximus) XII. xx. M. ad alpes. Vnde per Lugdunum ad portum Morinorum Britannicum, qua videtur mensuram agere Polybius. XI. M. lxxvij.

Sed certior mensura ac longior ad occasum solis aestiui ostiumq; Rheni, per castra legionum Germaniae ab eisdem dirigitur alpibus XII. xliij. M. pass. Hinc deinde Africa atq; Asia dicuntur.

C. PLINII SECVNDI
NATVRALIS HISTORIAE
LIBER V.

PROOEMIUM.



FRICAM Graeci Libyam appellauere, quae mare ante eam Libicum incipiens Aegyptio finitur. Nee alia pars terrarum pauciores recipit sinus, longe ab occidente littorum obliquo spatio. Populorum eius oppidorūq; nomina, vel maxime sunt inefabilia, praeterquam ipsorum linguis, & alias castella ferme inhabitant.

Mauritania. CAP. I.

Principio terrarum Mauritania appellatur, vsq; ad C. Caesarem Germanici filium regna, scuitia eius in duas diuise prouincias. Promontoriū oceanicum extimum Ampelusiam nominatur a Graecis. Oppida Tingi quondam ab Antaeo conditum: postea a Claudio Caesare, cum coloniā faceret, appellatū traducta Iulia. Abest a Belone oppido Baticae, pximo traiectu xxx. M. pass. Ab eo xxxv. M. pass. in ora oceani colonia Augusti Iulia Constātia, Zilis regū ditioni exēpta, & iura in Baticā petere iussa: & ab ea xxxij. M. pass. colonia a Claudio Caesare facta Lixos, vel fabulosissime ab antiquis narrata. Ibi regia Antaei, certamēq; cum Hercule, & Hesperidū orti. Affunditur autē huic aestuariū ē mari flexuoso meatu, in quo draconis custodie instar fuisse nunc interpretatur. Amplectitur intra se insulā quā solam ē vicino tractu aliquāto excelso, nō tamē aestus maris inundat. Extat in ea & ara Herculis, nec praeter oleastros aliud ex narrato illo aufero nemore. Minus pfecto mirentur portētofa Graeciae mendacia, de ijs & amne Lixo prodita, qui cogitent nostros nuper paulominus monstrifica quadā de iisdē tradidisse: praeualidā hanc urbē, maioreq; Carthagine magna: praeterea ex aduerso eius sitā, & prope immēso tractu ab Tingi: quaeq; alia Cornelius Nepos auidissime credidit. Ab Lixo xl. M. in mediterraneo altera Augusti colonia est Babba, Iulia capestris appellata: & tertia Banasa lxxv. M. Valentia cognominata. Ab ea xxxv. M. p. Volubile oppidū, tantundem a mari utroq; distans: & in ora a Lixo l. M. amnis Subur, praeter Banasam coloniā defluens, magnificus & nauigabilis. Ab eo totidem M. p. oppidū Sala, eiusdem nominis fluuiio impositū, iam solitudinibus vicinū, elephantorūq; gregibus infestū, multo tamē magis Autololum gente, per quā iter est ad montē Africae vel fabulosissimū Atlantem. E medijs hunc harenis in caelum attolli prodiderunt, asperū, squallentem, qua vergat ad littora oceani, cui cognomē imposuit. Eundem opacum nemorosumq; & scatebris fontium riguum, qua spectat Africā, fructibus omnium generū sponte ita subnascētibus, vt nunquam satietas voluptatibus